



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **De Scriptoribus Ecclesiasticis Liber Vnus**

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Coloniae Agrippinae, 1645**

Seculum vndecimum ab Anno 1000. ad 1100.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64672)

Seculum vndecimum ab Anno 1000.  
ad 1100.

De S. Fulberto Carnotensi.

**S**ANCTUS Fulbertus Episcopus Carnotensis ad initium huius seculi floruit. Obiit autem anno 1028. teste Card. Baronio in Annalibus tomo II. ad hunc annum.

Scriptit epistolas multas ad diuersos, quarum pleraq; ponit idem Card. tomo vndecimo. Extat etiam vna addeodatum de Sacramento Eucharistiæ adiuncta libro Paschasi Corbeiensis. Scripsit quoque librum de officiorum Ecclesiasticorum varietate, quem inuenies in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 3. edit. 2. Extant epistolæ, & alia opera eius impressa Parisiis in octauo, anno 1608.

De S. Burchardo Vormaciensi. 1010.

**S**ANCTUS Burchardus Episcopus Vormaciensis eodem tempore vixit, & anno 1026. Obiit sancte, & religiose, vt semper vixerat. Scripsit viginti libros decretorum ex Conciliis, & pontificibus, ac sanctis Patribus.

De Bernone. 1014.

**B**ERNO Abbas Augiensis vixit eodem tempore. Ipse enim in libro de rebus ad Missæ officium pertinentibus cap. 2. testatur, se interfuisse coronationi Henrici primi Imp. quæ facta est à Benedicto Papa Octauo anno 1024. Fuit vir doctus, & scripsit vitam S. Vdalrici Episcopi Augustani, quæ extat apud Surium die 4. Iulii. Scripsit etiã de officio Missæ, siue de rebus ad Missam pertinentibus. qui liber extat eum ceteris eiusdem argumenti impressus Colonie, & Rome: & tomo 6. Bibliothecæ sanctorum Patrum, edit. 2. ex quo etiam libro cap. 2. discimus, hoc primum tempore cœpisse in Romana Ecclesia cani ad Missam Symbolum fidei. Scripsit multas epistolas, & alia opera, quæ vtrum extant, ignoro.

De

*De Glabro Rudolpho. 1040.*

**G**laber Rodulphus Monachus scripsit historias sui temporis libris quinque, satis accurate, ubi tamen dicit Conradum Regem obiisse anno Dom. 1041. videtur Scriptorum vitio positum esse, pro anno vndequadragésimo, id est, tricesimo nono, ut habent alii historici, ac præsertim Hermanus Contractus. Floruit circa annum Dom. 1040.

*De Hermanno Contracto. 1050.*

**H**ermannus Contractus à membrorum fere omnium contractione, & debilitate sic appellatus, filius fuit nobilissimi cuiusdam Comitum, & Monachus Augiensis valde pius. Scripsit de sex ætatibus mundi Chronicum, quod perduxit vsque ad annum Domini, 1052. sed continuatum fuit à Bertoldo vsque ad annum 1065. Scripsisse præterea dicitur Antiphonam, Salve Regina, & Alma Redemptoris: necnon sequentiam illam de Spiritu sancto, Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium, &c. Scripsit alia permulta ad musicam, & Astrolabium spectantia. Vide Chronicum Hermanni auctius apud Henricum Canisium tomoprimo, antiquæ lectionis.

*De S. Leone nono Pontifice. 1050.*

**S**anctus Leo Papa IX. ex Episcopo Tullensi sedere cæspit in Apostolica Sede anno Domini 1049. & sedit annis sex. Itaque obiit anno 1054. scripsit insignem epistolam ad Michaellem Episcopum Constantinopolitanum contra Græcorum errores, quam Sigebertus librum appellat. Scripsit etiam ad Constantinum Monomachum Imperatorem Græcorum, & ad alios multos, quæ extant inter Epistolas Summorum Pontificum, & seorsim apud Card. Baronium tomovndecimo Annalium: & præter epistolas extant etiam homiliæ, & sermones impressi

Louanii anno Dom. millesimo quingentesimo  
sexagesimo quinto, & Colonia anno  
no 1568.

## De Humberto Cardinali. 1054.

**H**umbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ candidæ à Leone nono Pontifice Romam ex Tullensi Ecclesia adductus fuit, & ab eo Legatus Constantinopolim missus, cum esset Græce, & Latine doctissimus scripsit librum contra Græcos de azymo, in forma dialogi. Scripsit & alterum de ieiunio Sabbati contra Nicetam peccoratum Græcum: qui duo libri extant apud Cardin. Baronium in appendice undecimi tom. Annalium: sed apud Henricum Canisium tom. 6. antiquæ lectionis, habentur etiam epistolæ Archiepiscopi Constantinopolitani, & Nicetæ, quibus Humbertus responderet. Scriptus est autem prior liber (ut initio dicitur) anno Dom. millesimo quinquagesimo quarto.

## De Petro Damiani. 1060.

**P**etrus Damiani, sic à fratris sui Damiani nomine vocatus, quod eum, cum puer esset in magnis angustiis constitutus, loco piissimi parentis habuisset, nobilis Rauennas Monachus fuit Ord. sancti Benedicti, ac deinde S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis. Vixit temporibus Gregorii sexti, & successorum eius usque ad Gregorium septimum, ad quos omnes epistolas dedit. Vir fuit valde sanctus, & devotus, & præcipue pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardentissimus, qua de causa non semel à Nicolao secundo Pontifice petiit facultatem dimittendi Ecclesiam Ostiensem, & redeundi ad Eremum, sed non impetrauit, postea tamen Alexandro II. Pontifice invito, Ecclesia dimissa ad Eremum confugit, sed Alexander nec successorem ei dedit nisi post mortem, & Legationem illi iniunxit, ut Episcopo Cardinali, qua legatione obita, cum rediret, vitam finiuit, anno Domini 1072. teste Bertoldo in additione ad Hermannum Contractum, ex quo refellitur fabula Helenandi & Vincentii Bellouacensis, de pœnitentiâ centum annorum illi imposta à Gregorio septimo Papa, obiit enim Petrus antequam Gregorius septimus Pontifex eligeretur, quamvis  
autem

autem Petrus seueræ vitæ cupidissimus esset, erat tamen interim non infacetus, nec ludendi, ac false carpendi artem ignorabat, vt intelligi potest ex versibus ad Alexandrum Papam, & ad Hildebrandum Cardinalem, quos refert Cardin. Baronius in Annalibus ad annum Domini millesimum sexagesimum primum. Scripsit epistolas plurimas, & sermones permultos; quæ duo opera typis nuper mandauit Romæ Donnus Constantinus Caeranus Ord. sancti Benedicti Monachus. Scripsit etiam opuscula non pauca, quæ inueniuntur in Bibliotheca sanctorum Patrum, tomo tertio, editionis secundæ. Scripsit etiam vitam sancti Odilonis Abbatis, quæ extat apud Surium prima die Ianuarii: & vitam sancti Romualdi apud eundem Surium die 19. Iunii, & sancti Dominici Loricati apud eundem Surium die decimoquarto Octobris.

*Observatio Prima.*

In epistola ad Dominicum ca. 5. narrantur quædam leuiores de animabus defunctorum, quæ die Dominico refrigerium pœnarum videntur habere, & in figura auicularum de lacu auerui exire cernuntur: quæ fabulis fortasse similia sunt, quam historiæ.

*Observatio secunda.*

In epistola ad Firmum Episcopum liberius, quam par esset, videretur auctor reprehendere sanctum Leonem nonum propter bellum contra Northmannos: neque enim illicitum est Summo Pontifici armis defendere Ciuitates in quas dominium temporale habet: de qua re vide tomum II. Card. Baron. ad annum Domini 1053.

*Observatio tertia.*

In epistola ad Henricum Rauennæ Episcopum, quæ epistola dicitur etiam liber gratissimus, capite quarto scribit auctor, Christum anno 30. in baptismo factum esse Sacerdotem: & cap. 16. scribit Liberium Papam fuisse hæ-

re-

reticum, & seditiosum, quæ falsa sunt: Christus enim in conceptione habuit omnem gratiam, & dignitatem: & Liberius hæreticus non fuit, vt ostendi in lib. 4. de Pontifice, cap. 9.

*De S. Gregorio Papa VII. 1050.*

**S**anctus Gregorius floruit tempore Leonis IX. cœpit autem sedere in Apostolica Sede anno 1073. & non solum doctrina, prudentia, sed etiam sanctitate, & miraculis gloriosus fuit, dedit ad varios ingentem numerum Epistolarum, quarum aliquam partem non ingenio, vel manu secretariorum, sed a se proprie composuit; & scriptas ipse testatur.

*De Lanfranco, & Adelmanno. 1059.*

**L**anfrancus Archiepiscopus Cantuariensis vir sanctus & doctus in Concilio Romano sub Nicolao secundo Pontifice anno 1059. disputauit cum Berengario hæresiarcha; cumque ita conuicit, vt Berengarius librum suum in ignem iniecerit. Sed eoad vomitum redeunte, scripsit idem Lanfrancus insignem librum de veritate corporis Domini in Eucharistia: qui liber extat, & seorsim excusus, & in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo 6. edit. 2. Dicitur etiam idem Lanfrancus scripsisse in psalmos David, & in epistolas sancti Pauli.

Eodem tempore Adelmanus Episcopus Brixienfis, qui aliquando Berengario Diacono Andegauenfi comes fuerat, & condiscipulus sub disciplina sancti Fulberti Carnotensis Episcopi, scripsit epistolam valde eruditam ad Berengarium de veritate corporis Domini in sacrosancta Eucharistia, quæ extat in Bibliotheca SS. Patrum to. 6. edit. 2.

*De Guitmundo Episcopo Auersano. 1070.*

**G**uitmundus Episcopus Auersanus vixit Gregorio VII. summo Pontifice, vt ipse testatur initio primi libri de Eucharistia. Scripsit libros tres de corpore, & sanguine Domini in Eucharistiæ Sacramento: Nec solum  
veritatem

veritatem confirmavit, sed etiam argumenta contraria docte solideque destruxit. Scripsit etiam confessionem de sancta Trinitate, Christi humanitate, & corporis Domini veritate; quæ extant in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo sexto, editionis secundæ, & etiam seorsim cum Lãfranci, & Algeri libris excusa. Vnum est, in quo Guirmundus reprehendi solet, quod libro 2. timuerit concedere, species Sacramentales vere posse corrumpi, & putrescere, quæ potuisset admittere, sine vlla iniuria corporis Domini fieri.

*De Georgio Cedreno. 1070.*

**G**eorgius Cedrenus historicus Græcus, scripsit compendium historiarum ab Orbe condito vsque ad annum Dom. 1057. quod opus extat Græce & Latine,

*De Adone Treuirensi. 1070.*

**A**do Episcopus Treuirensis floruit tempore Gregorii VII. & scripsit egregium Martyrologium, quod habetur ad finem septimi tomi Vitarum Surii, sed non desunt, qui ambigant, an hoc martyrologium sit Adonis Treuirensis, an potius Adonis Viennensis. Nam Cardin. Baronius in præfatione ad Martyrologium Romanum cap. 9. tribuit hoc Martyrologium Adoni Treuirensi. sed in Annalibus tomo 10. ad annum Dom. 870. tribuit Adoni Viennensi, & in vltima editione Antuerpiensi Adonis Viennensis eidem tribuitur hoc ipsum Martyrologium. Sed multum me mouet auctoritas Aloyfii Lipomani qui primus ex manuscriptis codicibus in lucem edidit hoc Martyrologium, sub nomine Adonis Treuirensis.

*De Adamo Bremensi Canonico. 1070.*

**A**dam Bremensis Canonicus viuebat anno Domini millesimo septuagesimo, vt ex historia ipsius colligitur. Scripsit historiam Ecclesiasticam quatuor libris distinctam, in qua propagationem religionis Christianæ in Regnis Septentrionalibus descripsit a Carolo Magno vsque

vsque ad Henricum quartum, Addidit ad finem historiae libellum de situ Daniæ.

*De Ioanne Curopalate. 1070.*

**I**oannes Curopalates scripsit historiam ab anno Domini 1070. vsque ad annum 1081. extat cum variis Cassiodori excusus Venetiis anno 1700.

*De Theophylacto. 1071.*

**T**heophylactus Archiepiscopus Bulgarorum vixit tempore Alexandri Papæ secundi, & Romani Diogenis Imperatoris circa annum Domini millesimum septuagesimum primum, vt Cardinal. Baronius demonstrat ex epistolis ipsius Theophylacti Scripsit in prophetas minores, Oseam, Ionam, Naum, & Abacuc. Scripsit in quatuor Euangelia, & in omnes epistolas sancti Pauli, in quibus Commentariis in Euangelia, & in epistolas, ita Chrysostomum secutus est, vt Chrysostomi abbreviator dici possit.

Porro schismaticum fuisse Theophylactum intelligi potest ex Commentario in cap. 3. Ioannis, vbi Latinos reprehendit, quod credant Spiritum sanctum a Filio etiam procedere.

*De sancto Anselmo Lucensi. 1077.*

**S**anctus Anselmus Mantuanus, Episcopus Lucensis ab Alexandro secundo creatus, ac deinde, cum in Monasterium se abdidisset, à Gregorio septimo ad Episcopatum reuocatus sanctitate, & miraculis clarus obiit anno Domini 1086.

Scripsit libros duos ex Patrum sententiis, pro Gregorii VII. decreto, & rebus gestis contra Henricum Imperatorem, & contra Guibertum Antipapam, qui extant apud Henricum Canisium to. 6. antiquæ lectionis.

Scripsit quoque in lamentationes Hieremiæ, & in Psalmos aliquot explicationem: quæ duo posteriora opera vtrum extent, ignoro: post obitum innumeris miraculis floruit: vide Annales Car. Baronii ad ann. 1086. to. II.

De

## De S. Anselmo Cantuariensi. 1081.

SANCTUS Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus factus est anno Domini 1093. tempore Urbani secundi Pontificis & Henrici tertii, alias, quarti Imperatoris. Vir fuit natione Italus, professione Monachus, ingenio acerrimo, & sanctitate admiranda cum maxima prudentia, & humilitate coniuncta, discipulus, & successor Lanfranci, de quo paulo ante diximus, eius vita ab Edinero fideliter conscripta apud Suriū extat die 21. April. obiit feliciter anno ætatis 76. salutis 1109. nisi sit error in notis, & scribendum sit 1106. vixit enim annos tredecim in Episcopatu, & creatus fuerat Episcopus anno Domini 1093. quæ omnia ex ipso Edinero constant. Scripsit multa opera, sed multo plura ei falso attribuuntur. Adscribam hic primum ea, quæ Edinerus familiaris eius annotavit, & ipso ordine, quò ab Anselmo scripta fuisse patrat Edinerus.

Primo igitur scripsit libros tres.

De veritate;

De libero arbitrio;

De casu Diaboli;

Deinde scripsit alios tres.

Monologii librum.

De Grammatica;

Profologii.

Scripsit paulo post responsionem ad quendam reprehensorem suum, præmissa ipsa reprehensione. Hi libri inscribuntur, Pro insipiente, & contra insipientem: atque hæc opera antequam Archiepiscopus fieret, composuit. Deinde Archiepiscopus factus scripsit librum vnum de Incarnatione Verbi, quem Urbano Papæ obtulit, quique illi gratissimus fuit.

Scripsit deinde apud Capuam in Italia librum, quem in Anglia inchoauerat, qui inscribitur, Cur Deus homo. Postea Lugduni in Gallia scripsit duos libros.

De conceptu Virginali, & peccato originis, lib.

De

De meditatione redemptionis humanæ,  
Non procul a fine vitæ scripsit in Anglia,

De concordia præscientiæ, prædestinationis, & gratiæ  
Dei cum libero arbitrio,

Et cum moreretur, dixit, optare se adhuc modicum  
temporis, vt quæstionem obscurissimam de origine ani-  
mæ, quam cœperat, absolueret: sed hoc tempus datum ei  
non est, vt maius bonum ei in æternitate daretur.

Scripsit denique multas epistolas tum ante Archiepi-  
scopatum, tum postea, quarum duodecim extant. Hæc om-  
nia opera extant sæpius excusa, excepto vltimo, & de his  
nulla quæstio fieri debet. Nunc subiiciam opera, quæ fe-  
runtur sub nomine sancti Anselmi, tribus tomis distin-  
cta.

*In Primo Tomo.*

Commentaria in Matthæum, & lectiones, siue expla-  
nationes in varia loca Euangeliorum.

*In secundo Tomo sunt.*

Commentaria in Epistola sancti Pauli.

Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim.

*In tertio Tomo sunt.*

Opuscula, & Epistolæ: & quidem opuscula præter ea,  
quæ ex Edinero posuimus, hæc sunt.

De processione Spiritus sancti, lib. I

De fermentato, & azymo, I

De diuersitate Sacramentorum, X

De similitudinibus, I

De voluntate Dei, I

De miseria hominis, I

De mensuratione Crucis, I

Meditationum libellus, I

De vestimentis, membris, & actibus Deo tribu-  
tis, I

De passione Domini Dialogus, I

Speculum Euangelici sermonis, siue stimulus amo-  
ris, I

Homi-

Homilia de Assumptione in illud, Intrauit Iesus,	1
De excellentia B. Virginis Mariæ,	1
De imagine mundi.	2

*Observatio prima.*

De commentario in Matthæum, & lectionibus in varia loca Euangeliorum, ambigo an sint sancti Anselmi: non enim credibile est, ab Edinero potuisse omitti, qui tam minure opuscula numerauit. Ad hæc, in editione Parisiensi anni 1544. in qua dicuntur esse omnia opera sancti Anselmi, Commentarius in Matthæum non inuenitur. Nihil tamen definitio, sed suspicionem meam aperio.

*Observatio secunda.*

Commentaria in Epistolas sancti Pauli in editione Parisiensi anni millesimi quingentesimi quadragesimi quarti tribuuntur Heruæo non Anselmo; & videtur ista inscriptio verior. Primo, quia hoc opus tam prolixum, & magnum ab Edinero non numeratur inter opera sancti Anselmi. Secundo, quia Heruæi habet verus inscriptio. Terrio, quia ista Commentaria contexta sunt ex aliorum explanationibus, & saepe leniora sunt, quam esse soleant scripta sancti Anselmi.

Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim, tribui solent Anselmo Laudunensi, sed facile fieri potuit, ut propter nominis similitudinem opera vnius sint attributa alteri, præsertim cum Edinerus horum Commentariorum non meminerit.

*Observatio tertia.*

Ex opusculis, quæ in Edinero non inueniuntur apertis verbis, videntur admittenda ut germana sancti Anselmi opera, illa tria quæ sunt contra Græcos, videlicet, De processione Spiritus sancti, De azymo, & fermentato, & de diuersitate Sacramentorum. Scribit enim Edinerus lib. 2. sanctum Anselmum iussu Urbani Papæ in Concilio Batensi disputasse cum Græcis, eosque apertissime

conuicisse: & credibile est eas disputationes ab eodem Anselmo literis fuisse mandatas, adde, quod opusculum de azymo, & alterum de diuersitate Sacramentorum, habent stylum Anselmi, & præfixam epistolam Anselmi ad Valramum Episcopum, vt ex initio librorum constat, & in priore libro fit mentio libri de processione Spiritus sancti ab eodem Anselmo conscripti.

Item opusculum, quod inscribitur, stimulus amoris, videtur esse illud de quo Edinerus in princip. libr. dicit Anselm. scripsisse preces suas ad Deum: hoc enim opusculum nihil aliud continet, nisi pias preces ad Deum per omnes articulos vitæ, & Passionis Christi.

Eodem pertinet libellus meditationum, qui solas preces continet.

Opusculum de vestimentis, & membris, & actibus Deo tributis, præterquam quod non habetur apud Edinerm, habetur inter libros sancti Hieronymi, & sancti Augustini, sub alio titulo, sed neque illorum Patrum est, vt supra diximus. Inter opera sancti Hieronymi inscribitur, de his quæ Deo in Scripturis attribuuntur. In operibus vero sancti Augustini inscribitur, de essentia diuinitatis.

Dialogus de Passione Domini non est S. Anselmi, sed alicuius indocti hominis, qui multa inepta, & aliqua falsa scribit: & ipsum Anselmum, vocat beatum Anselmum, quem titulum ipse sibi nunquam tribuisset.

Homilia de Assumptione B. Virginis extat etiam inter Homilias ab Alcuino collectas, Alcuinus autem præfatur Anselmum fere trecentis annis.

Opusculum de excellentia B. Virginis non videtur Anselmi, non solum quia eius non meminit Edinerus, sed etiam quia non habet stylum, neque grauitatem Anselmi.

Opusculum de similitudinibus non est Anselmi, sed alicuius discipuli eius: nam in vltimis capitibus vocat Anselmum Patrem suum, & multa narrat de eius verbis & factis.

Opusculum de Imagine mundi tribui solet Honorio  
Inclu:

Incluso, & continet multa fabulosa & inepta, indigna, quæ tribuantur Anselmo.

Opusculum de voluntate Dei brevissimum est, & nihil habet Anselmi ingenio dignum.

Opusculum de commensuratione Crucis, ambigo cuius sit, cum eius non meminerit Edinerus.

*Observatio quarta.*

Sixtus Senensis in sua Bibliotheca tribuit sancto Anselmo explicationem in Genesim, Exodum, Leuiticum, Numeros, Deuteronomium, Iosue, & Iudices: sed vnde hoc habeat, diuinare non possum, cum tanta opera Edinorum latuerint.

*De Anselmo Laudunensi. 1077.*

**A**nselmus Laudunensis Scholasticus S. Anselmi Cantuariensis æqualis, aut paulo junior scripsit glossam interlinearem, quæ extat cum glossa ordinaria, & Lyrani. Eidem (vt paulo ante diximus) tribuuntur Commentaria in Cantica, & in Apocalypsim, quæ habentur inter opera sancti Anselmi.

*De Bertoldo Constantiensi. 1077.*

**B**ertoldus Constantiensis, historicus fidelissimus, & pius, continuauit Chronicum Hermanni contracti vsque ad annum 1065. & præterea scripsit historiam, siue Chronologiam rerum gestarum sui temporis vsque ad annum Domini 1100. quo tempore putatur etiam obisse.

*De Micrologo. 1077.*

**M**icrologus; quem aliqui Ioannem Micrologum nominant; scripsit librum de Ecclesiasticis obseruationibus, qui extat cum aliis similibus Coloniae, & Romæ excusis; vixit autem tempore Gregorii VII. & Anselmi Episcopi Lucensis, nam cap. 17. sui operis dicit, Anselmum Lucensem Episcopum obseruasse in Missa celebranda ritum quendam Gregorii VII. & sibi atque aliis obseruandum commendasse. & cap.

14. dicit, suo tempore Gregorium VII. in Sede Apostolica sedisse.

*De OEcumenio, & Olympiodoro.*

**O**Ecumenius, & Olympiodorus Græci scriptores scripserunt catenas ex antiquis Patribus: ille in Acta Apostolorum, & Epistolas sancti Pauli, iste in Iob; quo tempore floruerit non omnino constat, alii enim collocant eos inter annum 800. & 900. alii post annum millesimum. Scripsit præterea Olympiodorus Commentarium in Ecclesiastem, quod extat in primo tomo Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis secundæ. Extat in eodem primo tomo catena quædam in Epistolam ad Romanos sub nomine Theoduli Presbyteri Cælesyriæ. Sed Theodulus ille multo antiquior est ipso OEcumenio, qui in hac catena citatur, imo ista catena ex OEcumenio videtur tota excerpta, & quasi compendium esse catenæ OEcumenii in epistolam ad Romanos.

Porro Theodulus presbyter Cælesyriæ obiit sub Zénone Imperatore, teste Gennadio de viris Illustribus.

*De Lamberto Schafnaburgensi. 1077.*

**L**ambertus Schafnaburgensis insignis, & verax historicus, præsertim cum de contentione inter Gregorium VII. Papam & Henricum tertium Imperatorem agit. Scripsit historiam Germanicam, & incipit ab Orbe condito vsque ad annum Domini 1077. Sed continuauit Monachus quidam Erphespordensis, cuius nomen proprium ignoratur, vsque ad annum Domini 1472.

*De Ingulpho Anglo. 1077.*

**I**ngulphus Abbas in Anglia viuebat anno Domini 1000 vt ipse testatur in fine historiarum suarum: sed superuixit vsque ad annum Domini 1100. Scripsit historiam Monasteriorum Angliæ, quæ amplissima erant, sed attingit multa, quæ ad res gestas Regum Angliæ pertinent. Incipit ab anno Domini 664. & desinit anno Domini 1067.

quo

quo Rex VVilhelmus primus regnare cœpit. Extat hic auctor cum aliis, qui de rebus Anglicanis scripserunt.

*De Mariano Scoto. 1083.*

**M**arianus Scorus Monachus Fuldensis scripsit libros tres chronicorum ab initio mundi vsque ad annū Domini 1083. sed primus liber caret principio: describit historiam vniuersalem satis diligenter. Continuauit eius historiam Dodechinus Abbas sancti Dylibodi vsque ad annum Domini 1200.

*De B. Brunone. 1088.*

**B**runo Carthusianorum institutor, Coloniensis, vir doctissimus habitus est, vt testantur multa encomia sapientiæ ipsius apud Suriū die 6. Octobris. Vixit tēpore Urbani secundi Pontif. à quo Romā vocatus fuit ex Carthusia. Obiit autem anno Domini 1101. ex vita eius apud Surium. Scripsit multa, quæ extant impressa Parisiis apud Iodocum Ascensium: præcipua esse videntur Commentaria in Plalmos, & Commentaria in Epistolas sancti Pauli.

*De Iuone. 1088.*

**I**uo Carnotensis Episcopus vixit tempore Urbani secundi, ad quem extant epistolæ, sed superiit vsque ad annum Domini millesimum centesimum decimum-quartum. Scripsit volumen decretorum. Scripsit etiam de diuinis, & Ecclesiasticis officiis, & præcipuis festis diebus sermones viginti vnum, qui extant excusi Colonia cum aliis similibus libris. Scripsit quoque librum de corpore Domini, qui extat in Bibliotheca sanctorum Patrum tomo tertio. Scripsit denique epistolas multas ad varios, quarum nonnullas refert Cardin. Baronius tomo vndecimo & duodecimo Anhalium. Fertur etiam sub Iuonis nomine Pannormia, seu potius Pannomia: sed ea Pannomia non dicitur Iuonis, quia sit ab Iuone composita, sed quia sit ex decreto Iuonis maxima ex parte desumpta

sumpra: est enim Pannomia quasi compendium decreti Iuonis. & ideo mirum videri non debet, quod libro 8. multa sint decreta ex Innocentio secundo Papa, & ex historia Sigeberti, qui fuerunt Iuone posteriores.

*De Samuele Marochiano. 1090.*

**S**AMUEL Marochianus ex Iudæo Christianus scripsit vtilissimam epistolam, siue librum de aduentu Messie, & de iis, quæ Iudæi moderni negant, & ob quæ in Iudaismo obstinate perseverant. Scripsit autem, vt ipse testatur, post mille annos ab vltima euersione Ierosolymæ sub Tito Imper' id est, post annos mille septuaginta duos à natali Domini. Extat hic liber in tomo 4. Bibliothecæ sanctorum Patrum, editionis secundæ, & etiam seorsim excusus inuenitur.

Seculum duodecim ab Anno

1100. ad 1200.

*De Leone Ostiensi. 1101.*

**L**EO Marsicanus Episcopus Ostiensis factus à Paschali secundo, sub eodem obiit ad initium anni 1110. Scripsit chronicum Monasterii Cassinensis à sancto Benedicto vsque ad Desiderium Abbatem, qui fuit postea Victor Papa tertius. In quo chronico non pauca attinguntur ad historiam Ecclesiasticam illorum temporum valde vtilia.

*De Zacharia Chrysopolitano. 1101.*

**Z**ACHARIAS Episcopus Chrysopoleos vixit tempore Paschalis secundi Pontificis ad initium anni 1101. & scripsit in quatuor Euangelia quatuor libros Commentariorum.

*De Sigeberto Historico. 1101.*

**S**IGEBERTUS Monachus Gemblacensis vixit tempore Gregorii septimi Pontificis, & obiit tempore Paschalis secundi